



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 199. Diviserunt vestimenta eius. v. 35.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

reis, quod erat tunc temporis ignominiosissimum supplicium, cum & se in altum trahi, quati & pendere in aëre videret, inter cælum & terram, inter duos latrones medius, nudus & despectus, sine ullius creaturæ consolatione Deus, & filius Dei unigenitus, qui pro redemptione nostra venerat in mundum, cælum, patrem, sanctos Angelos, omnem denique felicitatem relinquens propter nos.

**Q**uid hic dicam Domine? pro me voluisti nasci, pro me circumcidi, & tandem crucifigi, potius ego debebam pro exsolvendis meis debitis & peccatis enormibus crucifigi & puniri, tu ex mera charitate hæc fecisti omnia. quid ego ex charitate etiam reciproca tibi respondebo? quid reddam creatori meo & salvatori, pro his tantis pœnis & confusione? Ecce, mi Deus, mi Iesu aliud non habeo quam me ipsum, ipsum me totum tibi consecro, quantus & qualis sum, offero ut pariceps tuæ passionis esse merear in vitam æternam.

§. 199. *Diviserunt vestimenta eius, v. 35.*

Milites scilicet & carnifices, Iudæi & gentiles, ut quisque partem acciperet de Christo? quid enim vestimenta nisi spolia fuere relicta, quæ accipere milites & carnifices in ignominiam tanti prophetæ? Hic autem considera despectum Christi & dolorem, quem poterat concipere in cruce pendens, videndo vestimenta sua quæ sanctus sanctorum portaverat, quæ manibus purissimis, piæ Matris fuerant tractata, confura & facta, ita descadari modo & lusu exponi & quidē sorte, inter nebulones, & carnifices sædissimos: piamque matrem eo thesauro spoliari qui ei poterat, ablato filio esse unicum solatium & conservari devotissimè in memoriam eius.

**O** Mansuetissime Iesu, quid hic video? video undique te spoliari & separari & denudari à tuis & amicis & rebus, etiam vestimentis, quæ sola pro solatio aliquo restabant, ita ut nihil iam restet quod à te avelli possit, nisi optimum illud corpus ab anima & anima à corpore per mortem? nam per discessum tuum voluntarium in Ierusalem separatus es ab amicis & cognatis, per fugam discipulorum ab ipsis, & ab illo qui tibi erat fidiissimus Achaetes, nempe Simone Petro, per negationem; per accusationes & falsa testimonia ab honore, per flagellationes coronationes & sputa à jucunditate, per vulnera sanguis à te separatus est, & nunc denique per sortes carnificum tua vestimenta alienantur. Nil agitur superest nisi sola animæ dilectissimæ & corporis coniunctio, quæ tamen ita laxata est, ut nisi divinitus teneretur, pridem evanuisset, O Deus, qualis est illa omnium rerum denudatio! quam pura, iam primum incipio intelligere, quod sæpe nomine tenus audivi,

R 3

quid

quid sit nudum sequi te nudum Iesum. Profecto non est ista parva perfectio, ista sine magna gratia non exercetur, hanc igitur oro, per tuam denudationem Iesu.

§. 200. *Mittentes sortem. v. 5.*

Super qua re? utique super reculis pauperrimi Iesu adhuc hactenus ei relictis, quænam vero illæ? nam modo videbam eum virum pauperrimum & spoliatissimum: dicit mihi Evangelista vestimenta, & vestem & S. Euthymius exponit mihi triplicem vestem. inter eam prima erat Tunica inconsutilis, quæ infima fuit instar eius quam Germani Indusium dicimus, nobis ex lino confici solitum. Altera erat similis Ecclesiasticorum togæ, quæ ab Italis *Sottana*, nobis Toga, vel Talaris, item Pia dici solet, qua domi forisque accinctum esse decet clericum. Tertia erat instar Pallii, quo Iudæi utebantur cum exibant domo, aut in publico agebant. quibus forte femoralia, sudaria aliaque adiuncta fuerunt. Ecce super his iacitur fors amara Christo, utilis nobis, eis vero, qui forte aliquid tam sanctarum Reliquiarum Domini acceperunt, felicissima, siue spectes religionem, siue sæculare pretium. nam immani pretio imo tota substantia sua, quilibet Christianus libenter emeret unam ex his margaritis, & quilibet, qui non odit Iesum libentissime videret, aliquam ex his particulam, & beatum se æstimaret si posset tangere. At quamquam super omnibus partibus quatuor, sortem decretoriam missam fuisse intelligi possit, peculiariter tamen super inconsutilem togam, fors singularis missa fuisse asseritur. Mirari hic subit, quomodo milites Romani, alias ingenui & divites satis inciderint in tantam appetentiam reularum Christi Domini, ut de his sorte contendendum sibi esse putaverint. Mytheria, Mytheria, aliud dicere nescio, alludere tamen possum, & opinari, quod uti inimici Christi Domini à militibus sponse pecuniæ emerunt eius tormenta & illusiones, ita amici Christi, ab iisdem militibus coemerint custodiam, & potestatem obtinendi sanctissimas eius reliquias, & hinc tam exactè & avidè milites pauperrimæ rei intendisse, quo accesserit etiam cura propria habendi aliquid ab ea persona, quæ Ierosolymis pro Rege Iudæorum fuisset crucifixa, & taliter tractata, quæ enim rara etsi non adeo proficua sint, sunt tamen cara.

**O** Iesu fili unice virginis in tuis vestibus variis agnosco merita tua & Sacramenta, sed in Toga inconsuili agnosco tuam unam Ecclesiam Catholicam. Illam dividere non debuit, nec voluit miles, sed forte certavit. Hanc autem scindere intendit omnis Hæreticus, sed dum scindere aggreditur extra eam confestim delabitur. Sciderunt quidem Arius, Nestorius, Eutyches, Wiclefus, Hussius, Pragensis, Lutherus, Menno, Calvinus, Gommarus,